



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

3 An poßit dari instrumentum creationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

per motum vel mutationem, & inducendo actum in potentiam. Patet consequentia ex illo principio, quia modus agendi imitatur modum essendi. Ex quo fit & contrario, ut Deo conueniat posse creare quatenus est actus purus & ipsum esse per essentiam, ac denique quatenus virtutem habet infinitam.

Satis sit rationi in principio posita.

Ex his satis responsum est principali rationi dubitandi in principio posita. Quod verò in augmentum difficultatis addebatur de virtute principali, non innata, sed superaddita, duobus modis potest etiam ex dictis facile expediri. Prior sumitur ex his, quæ de facto credimus, quia de facto nulla talis virtus principalis ad creandum comunicata est substantiis creatis, & tamen illis addita sunt virtutes & qualitates perfectissimi ordinis: ergo signum est nullam virtutem naturis rerum superaddi posse, quæ sit principalis virtus creandi. Vnde iudicio meo non recte nec satis consentaneè loquuntur, qui dicunt omnes supernaturales qualitates, quæ nobis infunduntur, creati, alias etiam supernaturales actus, ut visio beata, crearentur, nam sunt veræ qualitates, & tam supernaturales sicut ipsi habitus. Ex quo fieret ut lumē gloriæ v.g. quod est principale principium ad faciendam visionem, esset etiam principalis virtus ad creandum: quod absurdum est.

Posterior responsio est, rationes prius factas non probare tantum de virtute connaturali, sed simpliciter de virtute creata, eo enim tendunt ut ostendat nullam virtutem creandi esse posse creatam aut limitatam, quod æque procedit de virtute indita naturæ ab extrinseco, & de illa quæ ab intrinseco nascitur: nam virtus quæ extrinsece additur, creata esse debet. Vnde etiam oritur alia ratio, quia virtus addita supra naturam rei, necessario esse debet accidentalis, nam substantia non potest sibi ipsi addi, vel esse supernaturalis sibi: & ideo virtus superaddita necessario est accidentalis: virtus autem accidentalis non potest esse principalis virtus creandi. Quod ex modo essendi eius satis colligi potest, iuxta ea quæ superius diximus explicando primum discursum Scoti: nam cum omne accidens sit natura sua pendens in esse à subiecto, fieri non potest ut habeat connaturalem modum agendi extra subiectum seu independentem à subiecto, qualis est modus creationis: ergo non potest esse principalis virtus creandi. Est enim attentè considerandum, quod, licet forma aliqua, quæ est principalis virtus ad aliquem actum, sit supernaturalis subiecto, & ideo ille modus agendi sit etiam tali subiecto supernaturalis, tamen illa forma habet suam propriam essentiam & naturam sibi connaturalem: & ideo ille modus agendi ipsi formæ est connaturalis. Cum ergo modus agendi sine subiecto non possit esse connaturalis accidenti, neque virtus creandi esse poterit connaturalis aut subiecto, aut ipsi formæ accidentali: & ideo talis forma non potest esse principalis virtus.

SECTIO III.

An possit dari instrumentum creationis.

NON est in animo hanc rem ex professo ac Theologicè tractare, sed tantum breuiter attingere, quātum ex discursibus factis concludi potest. Ex dictis enim videtur efficaciter concludi, non posse esse creaturam instrumentale principium creandi, tale (inquam) instrumentum quod natura sua sit institutum & ordinatum ad talem actionem, quodque habeat naturalem potentiam instrumentariam ad illam, constat enim ex superius dictis de causa agente creata inter virtutes actiuas connaturales agentis. Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

tibus creatis esse quasdam instrumentarias, & non principales, qualis est virtus seminis. Hoc ergo sensu dicimus, recte probari ex dictis, non posse dari virtutem creatam, quæ ex se & natura sua sit instrumentaria virtuti creandi. Probatur, quia virtus instrumentaria creaturæ ad physicas & reales actiones semper est accidentalis: virtuti autem accidentali non potest esse connaturalis modus agendi per creationem, etiam instrumentariè. Maior constat inductione in omnibus propriis instrumentis, quæ non solum propter habitudinem vel denominationem ad aliquod prius agens, sed propriè propter intrinsecum modum agendi, & insufficienciam virtutis ad effectum, vocantur instrumenta. Et præterea specialiter probatur in præsentī, quia si tale instrumentum non esset accidens, esset aliqua substantia. Cuius ergo esset instrumentum in creatione? Non sui ipsius, ut constat, nec etiam alterius substantiæ creatæ, quia nulla est, quæ sit principale agens ad creandum; & instrumentum dicitur ex parte agentis principalis: nec denique Dei, quia ex parte Dei non est necessarium ad ullam creationem instrumentum, ut per se constat: nec verò ex parte ipsius substantiæ potest aliqua cogitari quæ natura sua possit adhuc finem institui, ut sit creationis instrumentum, cum ille finis sit valde extrinsecus, & valde accidentarius ad rerum creationes. Imo cum substantia sit ens per se, nunquam finis aliquius substantiæ ipsi connaturalis est, quod sit instrumentum ad aliquam actionem, nisi talis substantia sit aliquo modo partialis, & comparatur ad eam cuius est instrumentum ut pars ad totum: & tunc etiam potius se habet ut deferens, virtutem instrumentariam, quam ut instrumentum per propriam substantiam.

De substantia quamvis creata probatur.

Quod autem virtus accidentalis non possit esse naturale instrumentum creationis, eadem fere ratione probari potest, quæ de principali virtute facta est. Nam modus connaturalis agendi, esse debet proportionatus modo essendi formæ, siue agat ut virtus principalis, siue ut instrumentaria, quia utroque modo actio consequitur ipsum esse naturale formæ: sed modus essendi cum independentia à subiecto non potest esse connaturalis accidenti: ergo nec modus agendi ex nullo subiecto potest esse illi connaturalis: ergo non potest accidens esse virtus natura sua instituta ad sic operandum etiam per modum instrumenti. Atque hoc bene confirmat ratio, quæ D. Th. 1. p. quæst. 45. ar. 5. probat, creaturam non posse esse instrumentum creationis, scilicet quia creatura non potest esse instrumentum, nisi per aliquid sibi proprium dispositiuè operetur ad effectum principalis agentis.

Quocirca si D. Thom. in illo articulo in hoc tantum sensu loqueretur, scilicet, de instrumento natura sua ad hanc actionem instituto, & habente connaturalem virtutem instrumentariam ad creandum, nulla esset aut in conclusione, aut in ratione eius difficultas. Nam quod obici potest contra illam rationem, scpe actionem instrumenti non esse aliam ab actione principalis agentis, & tunc instrumentum non operari dispositiuè ad effectum principalis agentis, sed immediatè illum efficere, ut multi censent de phantasmate respectu speciei intelligibilis: hoc (inquam) comodam habet solutionem, & illius principii interpretationem. Nam semper instrumentum naturale secundum aliquid sibi proprium, quod in effectu proportionatè ei correspondet, operatur ad effectum principalis agentis, dispositiuè autem operari dicitur, non semper cum omni rigore & proprietate, id est, inducendo dispositionem præquā re ipsa distinctam ab effectu principalis agentis, sed vel hoc modo, vel quia instrumentum secundum id quod est sibi proprium, determinat actionem principalis agentis; quæ determinatio reduci potest ad genus cause materialis seu dispositiuæ: quo modo phantasma

Ss deter-

determinat actionem intellectus agentis ad talem speciem producendam. Neutro autem ex his modis potest creatura naturali virtute concurrere ad creationem ut instrumentum. Non quidem introducendo dispositionem praxiam, quia huiusmodi actio semper supponit subiectum quod disponendum sit: quod repugnat creationi. Neque etiam determinando per aliquod sibi proprium actionem principalis agentis: quia omnis forma creata secundum proprium & connaturalem modum agendi, non habet proportionem cum actione ex nihilo, & ideo non potest secundum aliquid sibi proprium determinare huiusmodi actionem, ad aliam concurrando.

IV.

Quæ ratio sic exposita potest accommodari etiam ad causas secundas principales, quæ in eo sensu dici possunt operari dispositiue ad effectus primæ causæ, quatenus per proprias virtutes determinant actionem eius. Tamen in eis ratio hæc per se sola non sufficit, nisi supponatur aliunde probatum virtutes causarum secundarum non posse esse natura sua sufficientes seu proportionatas in suo genere ad effectum ex nihilo producendum: quia hinc solum probari potest non posse illas determinare cōcursum primæ causæ ad talem actionem. Quin potius ratio illa applicata ad propria instrumenta, & dicto modo intellecta, supponit probatum, quod virtus creata non possit esse principale principium creandi. Nam in hoc maxime fundatur, quod instrumentum, quantum ad id quod dispositiue vel (ut ita dicam) determinatiue operatur per id, quod est sibi proprium, ita se gerit ac si esset virtus principalis, quantum ad hoc quod est operari secundum modum connaturalem & proportionatum tali naturæ.

V.

Adde præterea, si solum discursum Diui Thomæ in illo articulo spectemus, non videtur posse procedere in alio sensu nisi de instrumento connaturali. Nam illud principium, *instrumentum per aliquid sibi proprium dispositiue operatur ad effectum principalis agentis*, non est in alio sensu necessarium, aut verum, supposita communiori doctrina de diuinis instrumentis supernaturaliter eleuatis ad opera iustificationis, transubstantiationis & similia: illa enim instrumenta nihil operantur per propriam virtutem ad effectum principalis agentis; ut in primo & tertio tomo 3. p. late tractatum est. Et hunc sensum satis confirmat probatio illius principii quam statim D. Tho. subiungit, dicens, *Si igitur nihil ibi ageret (supple instrumentum) secundum id quod est sibi proprium, frustra adhiberetur ad agendum. Nec oportere esse determinata instrumenta determinatarum actionum.* Hæc enim ratio optima est in instrumentis naturæ, quæ per se ordinata, determinata, & necessaria sunt ad suos effectus. In instrumentis autem diuinis nullam vim habet illa probatio, quia verissimum est instrumenta diuina non esse determinata, sed indifferentia & quasi vniuersalia per potentiam obedientialem determinantur autem ad determinatas actiones per diuinā voluntatem & eleuationem, seu specialissimum concursum. Quare talia instrumenta non sunt quidem necessaria, nam sine illis æque potest Deus eosdem effectus facere, non tamen propterea dicuntur esse frustra, quia & quando eleuantur & assumuntur verè agunt, & non sine fine, & causa rationabili eleuantur ut agant.

VI.

Sed quanquam ratio & discursus non videatur amplius concludere: omnes tamen discipuli, & interpretes Diui Thomæ intelligant generalis eius sententiam, nimirum creaturam, etiā ut instrumentum eleuatum diuina virtute non posse concurrere ad creationem. Et certè D. Thomas cum ibi sententiam Magistri impugnaret, id satis significat. Nam Magister non dixerat creaturam posse esse naturale instrumentum creationis, sed per diuinum ministerium, agebat enim de sacramentis quatenus sunt di-

*Sententia
vni Magistri
non asseruit
naturalis
creationis
instrumentum
esse.*

uina instrumenta, ut patet in 4. distinct. 5. Vnde idem D. Thomas 3. p. quæst. 13. artic. 2. distinguens expressè inter virtutem naturæ & instrumentum gratiæ, negat creaturam posse esse instrumentum creationis, vel annihilationis: idem in 2. cont. Gent. cap. 21. & in eadem sententia sunt omnes Theologi qui sententiam Magistri impugnant, ut Albertus, Scotus, Henricus, & Agid. locis citatis sectione præced. Veruntamen controuerbia hæc quatenus attinet ad supernaturale instrumentum, in Theologia examinanda est: existimo enim ex propriis principis creationis non posse definiti.

Nam si verum esset, creaturam aut nullo modo posse eleuari diuina virtute ad agendum aliquid vera actione physica, quod suam naturalem potentiam & virtutem excedat, aut non nisi per virtutem aliquam in ipsa receptam, quæ connaturalem vim habeat ad talem effectum, quod multi Theologi opinantur, & non improbabiler: Si hoc (inquam) est verum, factis consequenter & optime dicitur non posse creaturam eleuari ut sic instrumentum creationis. Si autem Deus potest eleuare creaturam ut per suammet entitatem absque alia superaddita efficiat effectum excedentem virtutem suam naturalem, quod ego longe probabilius iudico (sic enim existimo eleuare aquam ad efficiendam gratiam, & ignem ad torquendos impietates, & verba ad transubstantiandum) si hoc (inquam) est verum, non video qua ratione consequentia negari valeat, posse Deum uti vna creatura ut instrumento ad creandum aliam. Quia neque sufficiens ratio differentie assignatur; neque asseritur specialis aliqua ratio, qua hoc probetur impossibile.

Prior pars patet, nam vnica differentia esse videtur, quod creatio non est actio ex subiecto nec sunt aliæ actiones. Sed hæc differentia in primis non est vniuersalis, nam etiam transubstantiatio non est actio ex subiecto, ut docet D. Th. 3. part. quæst. 75. artic. 2. Quod autem in transubstantiatione supponatur aliquid ut materia remota, & ut terminus a quo, vel sub alia simili habitudine, nihil sane refert ut minus repugnet instrumentum creatum concurrere ad illam actionem, quam ad creationem. Deinde ex illa differentia non probatur, sed sumitur quod probandum est. Ex hoc enim quod creatio est actio sine subiecto, optime inferitur non posse esse connaturalem creaturæ, neque ut principali virtuti, neque ut instrumento: tam enim hoc non obstat ex proportionali ratione ad alia instrumenta diuina contendimus, hanc actionem posse communicari instrumentis creatis per eleuationem. Nam etiam actio conuerſiua totius substantiæ in totam substantiam non potest esse connaturalis creaturæ neque ut principali causæ, neque ut instrumento: actio similiter in spiritum, præsertim quia in illo fit supernaturalis qualitas, non potest esse connaturalis corpori, & tamen vtrique communicatur diuina virtute per eleuationem: ergo idem est de altera actione.

Alterā verò pars constabit facile applicando rationes factas de virtute principali, & de instrumento connaturali, & considerando non procedere in instrumento per eleuationem. Quod enim quidam instrumentum habere infinitam virtutem & perfectionem, minimè sequitur, nam actio huius instrumenti non attenditur ex perfectione eius, sed ex perfectione primi agentis & potentia obedientiali instrumenti. Vnde in hoc ordine instrumentorum non est necessaria res perfectior ad perfectiorem effectum vel actionem. Neque hic potest fieri illa gradatio, quod ad producendum rem de maiori potentia maior virtus requiritur: nam eodem instrumento potest Deus educere formam ex subiecto quantumuis resistente. Denique eadem ratio fieri posset de instrumento transubstantiationis, nam etiam ad transubstantiandum virtute propria vel connaturali, requiritur infinita perfectio.

Rursus

Varia sententia.

In qua re tres inuenio esse posse dicendi modos. Primus est creationem in ratione actionis non esse aliquid in creatura, sed in ipso creatore esse ipsummet actum diuinæ voluntatis aut diuini imperii, quo res ad extra producit. Dico autem in ratione actionis, nam in ratione relationis, quæ supponit actionem iam terminatam, & resultat ex termino eius, creatio aliquid esse dicitur in creatura, scilicet, relatio quædam talis ad creatorem. Hæc censetur esse sententia D. Thom. 1. p. questione 45. articulo 3. quem ita exponit Caietanus, & alii Thomistæ. Ratio Diui Thomæ est, quia creatio non est mutatio, ergo nihil esse potest in creatura, nisi relatio. Antecedens patet, quia mutatio est circa aliquod subiectum, vt ex definitione motus constat: creatio autem non est circa subiectum, vt etiam constat ex definitione eius supra tacta. Primam verò consequentiam probat D. Thom. 1. p. quæst. 45. art. 2. quia actio & passio conueniunt in substantia motus, & differunt secundum habitudines diuersas ad agens, vel passum, ex 3. Physicorum textu 20. Ergo ablato motu à creatione nihil potest remanere nisi relatio, vel creaturæ ad creatorem, vel creatoris ad creaturam.

Secundo quia creatio non potest esse actio transiens formaliter: ergo est formaliter immanens in creatante; & dici potest virtualiter seu eminenter transiens, quia vim habet ponendi effectum ad extra, quod quadrat optimè in actum diuinæ voluntatis vel imperii. Consequentia est clara, quia inter illa duo membra nullum est medium. Antecedens verò probatur, quia actio transiens est accidens, & consequenter ex necessitate requirit subiectum, sed creatio non requirit subiectum, ergo non potest esse accidens: ergo non potest esse actio transiens.

Vnde argumentor tertio, nā omnis actio est prior natura suo termino: ergo creatio etiam est natura prior re creata: ergo non potest esse in re creata, sed in creatore. Patet hæc vltima consequentia, quia impossibile est intelligere creationem vt actionem extra Deum, & priorem quam rem creatam, quia in illo priori non intelligitur in quo aut quomodo sit, & non potest concipi actio vt actio in se sola & quasi per se subsistens.

Quartò argumentantur Thomistæ, quia non solum creatio, verum neque vlla actio diuinæ potentie respectu illius potest esse transiens, neque vnquā potest dari actio media inter potentiam Dei, & effectum eius, quæ sit distincta à potentia Dei: ergo multo minus hoc dari poterit in creatione. Antecedens verò probatur primò, quia diuina virtus est intimè præsens in omni effectu suo: ergo immediatè & per se producit omnem suum effectum & non media aliqua actione. Secundo, quia aliàs potentia Dei non solum esset principium sui effectus, sed etiam suæ actionis, quod tamen negat D. Tho. 1. p. quæst. 25. art. 1. ad 3. Tertio, quia actio transiens est complementum potentie actiue: sed non potest Deus habere complementum potentie suæ in creatura, aliàs penderet ab illa: ergo.

Secunda sententia est creationem esse aliquid extra Deum, tamen in re non esse aliquid distinctum à creatura quæ creatur, & ita proprie non esse in illa nisi secundum rationem, realiter tamen & essentialiter esse ipsammet creaturam, videlicet creationem hominis esse ipsam essentiam hominis, & creationem angeli essentiam angeli, & sic de aliis. Hæc sententia vt ponat creationem in re creata, fundatur in hoc, quod actio vt actio, necessario debet esse in suo termino, vel per idcirco, vel aliquo alio modo, quia actio non est nisi dependentia, & emanatio effectus à causa: dependentia autem necessario esse debet in re quæ pender. Quod principium inferius late probabimus: est enim verissimum. Vt autè affirmet hæc

Se 2 opinio

Rursum non vrget quod alii aiunt sequi, posse aliquid assumi vt instrumentum ad creandum seipsum. Primum enim negamus id sequi in rigore & proprietate, nam vt aliquid sit instrumentum physicum, necessario debet supponi existens; & ideo supponitur creatio eius, ad quam ipsum non potuit esse instrumentum. Haberet autem illa ratio nonnullam vim contra eos, qui dicunt rem non existentem posse esse physicum instrumentum: illam tamen sententiam improbabilem censemus. Quare licet ex vi creationis non repugnet quancunque creaturam fieri per instrumentum creatum, tamen ex conditione præsupposita, & prærequisita ad agendum repugnat rem eandem esse instrumentum suæ primæ creationis. Quod est euident argumentando in simili forma de instrumento generationis seu educationis: nemo enim negabit posse Deum vt gratia existente in Petro ad producendam gratiam in Paulo; negabit tamen posse illa vt ad se ipsam producendam, non ob repugnantiam talis instrumentalis actionis per se sumptæ, sed ob prædictam præsuppositionem existentie ad agendum. Quocirca, si verum est posse eandem rem bis seu duabus totalibus actionibus produci, verè ac propriè terminatis ad eius esse, nullum est inconueniens concedere eandem rem iam creatam posse concurrere effectiue ad sui recreationem, sicut humanitas Christi concurret effectiue ad transubstantiationem panis in ipsam: de quo ait.

Denique eodem modo procedendo per rationes superius factas, facile constabit non habere locum in hoc genere concursus vel effectiōis per potentiam obediētialem.

Aliqui verò magnum inconueniens ducunt, quod nulla sit actio ad extra, quam Deus non possit communicare creaturis, nam si quæ esset, esset maximè creatio. Sed ego nec consequentiam censeo necessariam, nec consequens rectè intellectum esse inconueniens. Posset enim aliquis dicere, actionem illā qua fit vnio hypostatica esse altiorē, magisq; incommunicabilem creaturæ; itemq; in Theauris diuinæ potentie esse alios modos actionum, quæ aliis titulis superant creationem: nam licet creatio sit omnium prima, & quasi fundamentū aliarum, non est tamen omnium maxima. Rursum aliud est loqui de actionibus, aliud de rebus quæ per actiones fiunt: loquendo ergo de rebus factis, nullū est inconueniens quod possit Deus per creaturam vt per instrumentum agere quidquid sola sua virtute facere potest; quin potius hoc spectat ad efficacitatem diuinæ virtutis, sicut è contrario etiam ad eandem efficaciam pertinet, vt nullam rem possit Deus facere per creaturam, quam non possit facere se solo. Loquendo autem de actionibus, multæ sunt ita Dei propriæ vt non possint esse à creatura, sicut est ipsamet actio creandi sola virtute principali. Hoc verò non est proprium Dei, nam etiam actio creaturæ vt talis est, non potest fieri sine illa, nec per aliam creaturam. Cuius rei rationem explicabimus seq. sequenti, vbi etiam attingemus rationem aliam ob quam alii dicunt esse impossibile instrumentum creationis, & inefficacem esse ostendimus.

SECTIO V.

An creatio sit aliquid in creatura distinctum ex natura rei ab ipsa.

Atenuis ferè solum diximus de potentia creandi, simulque declarauimus effectum eius, quatenus est obiectum seu terminus, ad quem illa potentia dicitur habitudinem saltem nostro modo concipiendi: superest vt dicamus de actione ipsa seu creatione quid sit.

Franc. Suar. Metaph. Tom. I.